

Bibliothèque numérique

medic@

**Brassant, Pierre-Vincent - candidat /
du Bertrand, Roch - président. - [De
femorum et crurum refectione
gangraenae causâ]**

1750.

*Paris : Typis Delaguette Regiae
Chirurgorum Academiae
Typographi*
Cote : ms 2342, n°4



4

D. O. M.
POSITIONES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



ARTIUM corporis humani situm, figuram; nexum, fabricam, harmoniam diligentè investigare, earumque functiones naviter perpendere Chirurgum decet; sin minus, instar empirici, fallaci experientiâ ductus, præjudiciisque execratus, operationes Chirurgicas temerè absolvit: unde, gangrænæ causâ, de femorum & crurum resectione in positionibus Chirurgicis acturi, humanæ gentis saluti consulentes, horum anatomen sedulò explanandam præmittemus.

IN FEMUR, Crus, & Pedem extremum, qui tarso, metatarso, & quinque pedis digitis constat, ab anatomicis dividitur extremitas inferior.

FEMUR, uno tantum osse, totius corporis maximo, validissimo, tubulato, medullâ conferto, & antrorsum arcuato, conflatur; superne cum acetabulo ossium innominatorum Enarthroſi, & inferne cum patellâ & tibiâ, diversæ specieſ Ginglymis, committitur.

CRUS duobus sulcitur ossibus, tibiâ & fibulâ in utroque extremito inter se contiguis, à se invicem mediâ parte dissitis, sed ligamento inter-osse ſimil junc̄tis. Tibia, os omnium, si femur exceperis, longissimum, ferè triangulare, in parte superiori cum femore, in inferiore cum astragalo, connexum. Fibula in externâ cruris parte sita, tibiâ multo gracilior hujus superiorē non attingit partem, sed inferius producitur, & malleolum extremitum, commiſſoram pedis firmantem, efformat. Articulo femoris & tibiæ commune præstat officium Patella: musculorum ten-

2

dinibus & ligamento peculiarī cum femore ex unā parte , ex alterā cum tibiā colligatur.

EXCEPTIS solis articulationum , & adhæsionis muscularum locis , membranā , *Periostium* dictā , exteriū immēdiatē obvolvuntur ossa , eā verò interior eorum cavitas vestitur.

FEMORIS & cruris ossa multis moventur musculis ; inter quos quidam , pro vario hominis situ , juxta quosdām Anatomi- eos , vario funguntur munere.

QUATUORDECLM vulgò annumerantur musculi ad di- versos femoris motus . Tribus elevatur , uno extenditur , duobus abducitur , uno adducitur , sex rotatio externa , uno denique interna , absolvitur . Undecim indigitantur crus moventes , inter quos quinque flexores ; quatuor extensores ; unus adductor ; & unus abductor . Hi verò musculi ex omni parte os femur amplectuntur . Tibiam & Fibulam obvolventes , motui pedis extre- mi inserviunt , octoque recensentur ; quorum duo flexores , quatuor extensores , unus adductor , alter abductor . Nonnulli etiam digitorum musculi à crure originem ducunt , quales sunt profundus , flexor , & extensor communis , flexor , & extensor pollicis .

EXTREMITATEM inferiorem irrigat arteria cruralis , iliacæ externæ soboles ; ab anteriori femoris parte ad popliteum pergit ; bipartitū , ex quoque ramo alii emergunt permulti . Ad venam iliacam externam per cruralem sanguis ex ramulis venosis redux appellit . Dupli denique nervorum stirpe , crurali scilicet , & ischiatico , frutices hinc & illinc impertinentibus , omnes extremi- tatis infernæ partes vivificantur .

EX CHIRURGIA.

VARIOS inter morbos quibus infestatur humana conditio ; pauci sunt qui prudentius perspicaciusque Chirurgiæ præ- fidium requirant , quām Gangræna .

VULGO definitur Gangræna incipiens partis corruptio , majo- rum inflammationum comes , sèpè pedissequa , quæ cùm jam èo processit ut membrum corruptione extinctum & emortuum sit , sphacelus id est sideratio nuncupatur . Meræ denominationis discrimen , non verò essentiale inter gangrænam & sphacelum esse , contendimus .

AB impedito sanguinis circuitu ; & fluidi nervi partibus vi- vificantis inservientis absentia , gangrænae repetendæ sunt causæ proximæ .

REMOТА s tamen alias agnoscit causas , quarum aliæ sunt in- ternæ , aliæ externæ . Internæ sunt quæcumque sanguinem vel inspissare aut solvere , vel fluidi nervi suppressionem aut ni- miam ejus dissipationem promovere possunt ; qualia sunt febres

malignæ , hydrops , senectus &c. Præterea tumores sanguineos & lymphaticos , à sanguinis & lymphæ stagnantis labe & à vicio partium solidarum oriundos , sæpe sæpius comitari solet gangrena.

INTER externas diræ hujuscæ affectionis causas , recensentur indebita vixtus ratio , frigus ingens , ustiones & contusiones profundiores , vulnera in quibus majora lœduntur vasa , quædam ossium luxationes & fracturæ , ligaturæ strictiores , venenatorum animalium morsus , caustica uberiorem putrefactiōnem inducentia præsertim in hydropicis &c. Cæterum non omnes , sed præcipuas tantum gangrenæ causas , prolixitatis vi- tandæ gratiâ , hic descriptas volumus.

HIS omnibus vel perturbantur aut pervertuntur fluida . vel comprimuntur aut resciduntur vasa , ipsorumque minuitur *Dia-metros* ; undè sanguis aut solvitur , aut hæret in vasis ; aut extra vasa diffunditur , deinde coacervatus , putredinem contrahit.

IN SITO calore suffocato , arteriolarum sublatâ contractio-ne , motuque systaltico fibrarum omnium extinto , tunc nati-vus partis color excedit , rubor in calorem pallidum livescen-temque convertitur , denique nigrescit , sensusque partis aliquo modo obtunditur , à cute recedit cuticula , & phlebotenæ ichore tetri odoris repletæ , quasi post adustionem , prorumpunt.

INGRAVESCENTE malo , caro mollis , flaccida , omni-tono & elatere destituta : fibrae omnis generis textura propter dissolutionem integrum cum humoribus putridis confunditur ; pars antè calida friget , sætidumque odorem exhalat.

HINC motus sanguinis à corde ad partem affectam delati-sistur , propter jam stagnantem & infarctum sanguinem qui tunc resolvi non valet , nec foras expelli ; tunc & ipse corrupte-lam contrahit , eaque vicinas partes citè inficit.

SÍ serpat malum , sanguinis circuitus ope , ad præcordia serpit lethale virus , nisi siderata pars à sanâ tempestivè res-cindatur.

HUIC lethiferæ corruptioni obnoxii sunt corporis nostri artus , multosque illa orco protruderet homines , nisi Chirurgia genti humanæ temper benefica eis præsens porrigeret auxilium , quod quidem varium est pro variis corruptionis gradibus.

INCIPIENTE morbo , resolutio tentanda ad quam sæpe multum conferunt frequentes venæ sectiones , cataplasma-ta emollientia & resolventia , fomenta penetrantia , qualia sunt decoctum florum sambuci cum aquâ vitæ , gradatim & spi-ritus vini camphoratus , sal ammoniacum aquâ vitæ solutum &c.

URGENTE malo sæpe sæpius felici cum successu scarifica-tiones , incisiones plus minus ve profundæ fiunt , quibus , ab humore jam corrupto fibras vaseaque obruente , exoneratur pars ; quibus etiam , defensiva , inter quæ laudatur spiritus thera-bentinæ , digestiva plus minus ve animata , aliquandòque styp-tica , immedia-te & efficaciüs agunt. Quæ si inutilia evadant , ad

artuum rescissionem recurrentum, circà quam varias instituerunt methodos pro variis membris amputandis, in carnibus vivis, quantum fieri potest, celebrandas.

VARIÆ illæ operationes in Gangrænâ à causâ internâ, ut plurimùm sanæ praxi adversantur.

AMPUTATIONE M femoris cum acetabulo ossis innominati tanquam periculofam prorsus rejicimus.

IN FEMORIBUS & cruribus amputandis trita magis methodus hæc est. Præmissis præmittendis, cæteris omnibus suo loco dispositis, Chirurgus extrâ membrum si femora, intrâ si crura, situs, cultro falcato cutem & carnes ad os usque circulatim incidit, os ferrat, quæ quidem methodus diuturniorem, minimè commodam & aliquando periculosiorem protrahit curationem quam ea in quâ reservantur segmina: quæ methodus præ cæteris tanquam citior, tutior, & commodior nobis anteponenda videtur.

IM UTRACUNQ; methodo ope ligaturæ sistitur sanguinis effluxus; aliquando tamen, & felici cum successu, sola valet compressio. * Stiptica vero infidiora habentur.

AMPUTATIONE factâ, idoneo apparatu apposito, ægro refocillato, & in lecto collocato, diæta & quandoque venæ sectiones instituendæ: ante tertium vel quartum diem non solvenda deligatio, nisi gravia vigeant accidentia; linta carpta vulnieri agglutinata relinquuntur, donec sequentibus deligationibus sponte decident. Cæterum ope digestivorum, pro re natâ, diversimodè compositorum, ut moris est, vulnus curandum.

Si fortè, propter humoris è sanguine vitiato continuum effluxum, perfecta conciliari non possit cicatrix, hunc versus alteram partem dimovebit fonticulus.

* Vid. Acta Regiæ Scientiarum Academiæ ann. 1731. ubi legere est observat. à M. Petit traditam de felici in casu desperato ad cohibendum sanguinis effluxum, ligaturis frustrâ tentatis, compressionis successu.

Has positiones, DEO JUVANTE, & præside M. ROCHO DU BERTRAND Artium & Chirurgiæ Magistro, nec non Scholarum Præposito designato, tueri conabitur PETRUS-VINCENTIUS BRASSANT Parisinus, in alma Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Luna 3. Augusti à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam. Anno Domini 1750.

PRO ACTU PUBLICO.

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiæ
Typographi 1750.